

8.  
A. J. F. D. D N.  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
De

# AMORE IN DEUM,

Quam,

*Aspirante gratia coelesti,*

Et

*Permittente Venerand. Facult. Theolog. in Reg.  
Academ. Aboënsi.*

SUB MODERAMINE

## JOHAN. WALLENII

S.S. Theologiæ Doctor & Prof. ord. Eccles. Fenn. Aboëns. Pastoris, h. t. Facult. Theol. Dec.

*Eruditorum examini publico submittit*

AUCTOR

### GABRIEL GABRIELIS FRONDELIIUS

*Bor. Fenn.*

In Auditorio Majori, die 12. Maji, Anni 1742  
horis ante meridianis.

---

ABOË,  
Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typogr.

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
*Reuerendissimo Patri ac Domino,*

**Dn. JONÆ FAHLENIO,**

S.S. Theolog. DOCTORI consummatissimo, Diœce-  
seos Aboënsis EPISCOPO eminentissimo, Academiae  
ibidem Pro-CANCELLARIO magnificentissimo,  
Consist. Ecclesiast. PRÆSIDI, & Schol. per totam  
diœcesin EPHORO gravissimo.

Mæcenati & Promotori maximo,

Submissa animi veneratione assidue colendo.

**R**erum omnium dependentiam ea est ratio, ut nihil ab  
eâ percurrere lubet, & minimis retrogrediendo ad maxi-  
mum evanida esse, & ne digna quidem, in quâ vel tan-  
solus esse immutabilem, & perfectionum, quæ unquam existe-  
re quædammodum ILLE, divino suo nos perfundit amore,  
in Deum summa est mentis iucunditas, paradus anime,  
justissimus viuorum & mortuorum iudex. De hoc in Deum  
MINIBUS, REVERENDISSIME DOMINE EPISCOPE, & GE-  
nera impulit ratio. Etenim ut alios Apollinis indefessos coltores  
beare haud fuistis gravati. Vestra igitur in me paternamque do-  
preclara documenta dum vivo submisso agnoscam. Astrioten-  
in seram posteritatem superstites conservare. Unde fiet, ut  
bilissimis sitis præsidio longe certissimo,

REVERENDISS. & GENERO-

*Humillimus*  
GABRIEL G.



S:æ R:æ M:itis

NAGNÆ FIDEI VIRO,

Nobilissimo & Generosissimo Domino,

Dn. SAMUELI BLOMFELDT,

JUDICI provinciali gravissimo,

Mæcenati Maximo,

Venerabunda mente iugiter colendo.

*ictu mutationis sit immune. Nam si indefinitam earum serimas, inueniemus cuncta vicissitudini subiacere, caduca & stillam defigat amoris immortalis mens. Deum autem re possunt complementum, in æternum duraturum. Proinde ita jure summo nobis diligendus est & amandus. amor enim symbolum, quo in iudicio extremo nos agnoscet pro suis, amore hæc mea tenuis opella agit. Quam ut VESTRIS NONEROSISSIME DOMINE NOMARCHA, sacratam facerem non favore amplecti soletis singulari; ita me quoque eo affatim immortalia collata beneficia & innumera fere favoris tem insuper Supplex rogabo, dignetur tanta Fenningie lumina Ecclesia Dei, reipublicæ civili & litteraria, Familiisque vestris no-*  
*lientibusque solatio non exiguo.*

SISS. NOMINUM VESTRORUM

*clien*

FRONDELIUS.

*Admodum Reuerendo Et Praeclarissimo VIRO,*  
Dn. MATTHIÆ GRUNNERO,  
Pastori in Saltvik meritissimo, nec non district. A-  
land. Præposito Grawissimo,  
Patrono propensissimo.

*Admodum Reuerendo Praeclarissimoque Domino,*  
Mag. CAROLO GUSTAVO HALLMAN,  
Pastori & Præposito in Sund & Wårdöb dignissimo  
solertissimoque, Evergetæ ac Fautori optimo & ho-  
neratissimo,

*Viro Praestantissimo*  
Domino HEN-  
Scholæ Alandicæ Pæda-  
Affini meo ex

**I***N* tesseram grati animi, ob fauorem singularems  
hunc ingenii foetum,

Vestrorum

*Cultor obseru*  
GABRIEL G.



*VIRO Admodum Reverendo & Praeclarissimo*  
Dn. GUDMUNDO ROTHOVIO,  
Pastori & Praeposito in Hammarland & Eckeröö me-  
ritissimo vigilantissimoque,  
Patrono benignissimo,

*Plurimum Reverendo atque clarissimo Domino,*  
Dn. OLAVO THORIN,  
Pastori in Finström & Getha longe meritissimo, ob  
beneficia fere innumera favoremque multum grata  
mente semper colendo,

*atque Doctissimo*  
RICO GUMMERO,  
gogo laudatissimo,  
optatissimo.

*& innumera praestita beneficia, excitem ac tenuera  
dat, dicat, consecrat.*

**Nominum;**

*mansissimus*  
**FRONDELIUS!**

Inspectoren Adle och Högachtade  
Herr BENGT APPELBERG,  
Bokhållaren wid Kongl Ammiralitetet

Adle och Högachtade  
Herr HENRIC WASSBOM,

Mine gunstige Wälghnare.

Guds kärlek är et ädelt smycke  
Som pryder Christnom mächta wähl.  
Hogs Gud den är i nådiat tycke  
Som älskar honom n ed all skäly;  
En sådan hafwer dygder mång,  
Kan sig i alt godt samwet giöra,  
Sin wandel i Guds fruchtan föra,  
Då andra synða mången gång.  
Et detta har Min tanckar drifwit  
At wid Guds kärlek skanna qwar,  
Swad jag enfaldigt här om skrifwit,  
Jag skyldigt Eyr tillågnat har,  
För all den gunst I mig bewist;  
Och til et prof af tacksamt Minne,  
Då'n detta upp med gunstigt sinne,  
Det af Mig stads skal bli beprist.  
Swad åter står skall önskan fylla,  
Och för Eyr trefnad altid ske.  
Det himlen tack's Eyr wällsång hylla,  
Att alt Eyr huus må lyckas se;  
Gud sägne Eyr med Råd och Frögd,  
Som will min lyckas framgång önska,  
Eyr Namn skall uti Ceder grönska,  
Til Nestors Eyr stads lefwen nögd.

Mine Gunstige Herrars och Wälghnares  
Högstförbundne Tjenare

GABRIEL G. FRONDELIUS.



## CONSPECTUS.

## §. I.

*Quid per amorem Dei intelligatur, exponit.*

## §. II.

*Distinctiones amoris in genere, & breuem earum expositionem adfert.*

## §. III.

*Qua ratione hæ distinctiones in amore erga Deum fundata sint, expendit.*

## §. IV.

*Quod distinctiones allata non constituent diversas species amoris, ostendit.*

## §. V.

*Deum summo complectendum esse amore, & quid per illum intelligatur, innuit.*

## §. VI.

*Quæ sit causa efficiens hujus amoris, indigitat.*

## §. VII.

*Subiectum ejus quodnam sit, tradit.*

## §. VIII.

*Rationes, quæ nos ad illum diligendum impellere debeant, recenset.*

§. IX.

Ordinem, qui in Deo amando observandus sit,  
trahit.

§. X.

Occasione dicti ordinis, quis purus, quisve im-  
purus sit amor, disquirat.

§. XI.

Amore puro, qualem sibi nonnulli fingunt,  
Deum diligere posse, negat.


§. XII.

Veri & genuini amoris Divini effectus addu-  
cit.

§. XIII.

Criteria amoris hujus indicat.





PRÆFATIO,

**T**anta est substratæ materiei dignitas ,  
tanta in Ecclesia necessitas , ut nisi a-  
mor in Deum vigeat justoque zelo  
semper inculcetur ab iis , quorum præcipue in-  
terest , facili negotio actum erit de universo  
Christianismo. (\*) Constat enim inter omnes,  
amorem in Deum esse quasi basin ac funda-  
mentum ceterarum virtutum omnium. Hinc ip-  
se Salvator in secula benedictus , non sine  
gravissimis caussis , summam universæ legis mo-  
ralis, amorem in Deum & proximum, ex veteri  
Testamento repetit. (a) Quid? quod nec fides  
vera sine hoc , ceu fructu suo genuino , exsi-  
stere possit. Nihil etenim ineptius, quam glo-  
riari de fide , quæ amore destituitur ; quod

A 2

San-

(a) *Matth.* XXII. v. 36. *sq.* *Marc.* XII.  
v. 29. *sq.* *Luc.* X. 27. *Deuir.* VI. v. 5.

Sancti Dei viri, tantum non omnes, uno quasi ore testantur; ut speciali locorum inductione opus non sit. Hoc igitur de amore in Deum acturus, Te Candide Lector, quia par est animi veneratione compello, digneris conatus hos meos innocuos in meliorem interpretari partem. Sed Tu arbiter Summe Deus, huius amoris æterne Fons & origo, accende in cordibus omnium hominum veræ caritatis ignem, per spiritum tuum Sanctum!

(\*) Castigant in D. SPENERO *Wittebergenses* sententiam, Christianismum consistere essentialiter in vera fide & caritate, siue recte credendo & pie viuendo. Non tamen negarunt vitam Christianam cuiuslibet Christiano esse necessariam; sed tantum caritatem esse partem Christianismi essentialem: asserentes illam esse fructum duntaxat Christianismi: Fructum autem non esse partem rei: hinc etiam hominem, si fidem habeat, habere id quod ipsum faciat christianum *FORMALITER & ESSENTIALITER*. D. FECHT. *COLL. MANUS. ART. DE FIDE, QU. IV.* Verum si observetur diversa acceptio christianismi, tota hæc concidit controversia. Accipitur namque christianismus, vel pro eo *HOMINIS STATU, QVO IN GRATIA DIVINA IS CONSTITUITUR*; quo pacto sola fide, ex parte hominis absolvitur. *ACT. VIII. v. 37.* vel pro *CHRISTIANI HOMINIS OFFICIO, QVO sensu recte docetur, christianum non esse, nisi qui & recte credat & pie vivat.* FECHT. *SYLL. CONTROV. DISP. XL. §. X. XI. p. m. 447.* posteriori modo nos notionem christianismi adhibere, res ipsa loquitur. S. I.



§. I.

**P**ER AMOREM erga DEUM non intelligimus NUDUM ACTUM, sed PROPENSIONEM VOLUNTATIS INFINITAM HABITUALEM, qua homo Deum, cœsummum bonum amplectitur, & in eo veram animi quietem querit ac inuenit; \* Neque tamen talem, quæ in NUDA PROPENSIONE subsistat, sed quæ numquam non in actum erumpat, in quantum nostra imbecillitatis ratio id permittit. Actus vero hic denotat, non transitorium quendam aut scepe fictitium penes nos excitatum motum; sed constantem realemque & ex gratia Spiritus Sancti profluentum affectum, (b) \*\*, unde Deus ipse per omnem vitam amore maxime sincero & summo se amari iubet(c). Neque aliter res se habere potest, si modo cogitauerimus, quod amor semper indivulso nexu cum fide conjunctus sit. Ut ergo, qui in statu gratiæ constituti sunt, fide nullo unquam temporis momento carere possunt; ita neque amore erga Deum, tamquam perpetuo hujus

A 2

co.

(b) 1. Joh: IV, v. 7. (c) Dent. XI, v. 1, Matth. XXII, v: 37, 38, 39. Luc: X, v, 27.

mite. Quam itaque absurda illorum sit sententia, qui Deum amari posse contendunt, tametsi nullus unquam actus amoris edatur, facili negotio quemvis ex dictis percipere posse existimamus.

\* Definire solent recentiores *AMOREM* per appetitum ad voluptatem ex perfectione Entis capiendam. Appetitum vero per inclinationem ad bonum cognitum. Vel per voluptatem ex notione perfectionis, qua res ornatur, & aliaquantisper ad nos referri potest, oriundam. Vid. *Cant. Discipl. Mor.* §. 575. Unde facili negotio amoris in Deum definitio conficitur.

Nos in thesi, definitionem a *CELEB. BUD:* Theol Moral, cap. I. *SECT. IV* §. 110. allatam, utpote magis planam ac perspicuam, retinimus.

\*\* per affectum heic non intelligimus mutationem mentis vehementem, vel exstantiorem gradum adpetitus vel averfationis sensitivæ, ortam ex simultanea & hinc confuta reddita boni malive representatione; sed simpliciter animi motum, præcisus gradibus commotionis; quum de amore in Deum ratione *EXTENSIONIS*, non vero *INTENSIONIS*, nobis heic sermo sit.

## §. II.

**M**issis variis amoris distinctionibus, earumque diversis acceptionibus, retinemus *CELEB. BUDDEO* probatas. Disperscitur autem juxta illum amor, in amorem, ut ajunt *CONCU*



5

CUPISCENTIÆ & COMPLACENTIÆ. AMOR COMPLACENTIÆ autem in AMICITIÆ & OBEDIENTIÆ, vel cu aliis placet, DEVOTIONIS. \* Ut vero constet quid per has distinctiones indigitemus, dabimus breves earum notiones. AMOR CONCUPISCENTIÆ nobis est, PROPENSIO ad OBJECTUM, cum quo quis, SUÆ UTILITATIS CAUSSA UNIRI CUPIT. Adeoque amorem sui respicit, quamvis tendat ad objectum extra nos positum. AMOR COMPLACENTIÆ, est PROPENSIO ad OBJECTUM, CUM QVO QVIS OB EJUS PRÆSTANTIAM, NON HABITA PRÆCIPUA SUÆ UTILITATIS RATIONE, UNIRI CUPIT. \*\* Ut vero constet, quæ sit ratio hujus divisionis, addemus fundamentum ejusdem. Quod quantum percipio, in nulla alia re consistit, quam in sola diversa objecti representatione. Bonum etenim in quod amor noster fertur, est vel ABSOLUTE vel RELATE tale. in bonum *absolute* tale fertur præcipua quadam ratione AMOR COMPLACENTIÆ; in RELATE VERO TALE, AMOR CONCUPISCENTIÆ. \*\*\* Amor AMICITIÆ dici solet  
qui

qui obtinet inter *æquales*, vel saltem respectum mutui & reciproci amoris inuoluit. AMOR OBEDIENTIÆ vero inter superiorem & inferiorem locum habet. Neque tamen hoc ita capiendum, ac si amor amicitiae ita restringatur a nobis ad *æquales*, ut inter inæquales numquam obtineat aut obtinere queat. Quæ vero de hoc argumento adferemus in sequentibus, dubium, ut existimamus, diluent.

¶ Observat quidem *BUDDEUS, THEOL. MORAL. cap. I. SECT. VI §. 18.* amorem *COMPLACENTIÆ*, si ad personas tantum referatur, pro diverso respectu, qui inter nos & eos quos amamus, intercedit, esse vel *BENEVOLENTIÆ* vel *AMICITIÆ*, vel devotionis sive *OBEDIENTIÆ*; interim tamen ubi speciatim de Amore Dei sermo est, amorem *benevolentia* ex parte hominis locum non invenire: quia Deum neutiquam tanquam inferiorem spectare possunt homines.

¶ Dum dicimus *AMOREM CONCRUPISCENTIÆ* respicere amorem sui; amorem vero *COMPLACENTIÆ* solam objecti præstantiam; non negamus, amorem sui ita esse naturalem, ut sine contradictione negari nequeat: adeoque in omnibus Voluntatis affectuumque motibus involuit; immo etiam locum habere, in æriori illo amore, quo formalis animi motus intensior est in aliud quid, quam in nosmetipsos. ex *SCHOM. Theol. Mor. cap. IV. §. 27.* Sed præcipuum solum propensionis motivum in utraque amoris modificatione indigitamus. Adeoque nec amorem sui ab amore complacentiæ prorsus exulare



lare contendimus; sed præstantiæ obiecti præcipuam duntaxat haberi rationem. Ita namque ad distinctionem amoris notionem formandam, distincte considerare licet ea, quæ essentiam eius iunctim ingrediuntur atque constituunt.

\*\*\* Distinctiones Scholasticorum, qui motum amoris in bonum quod quis vult, amorem *concupiscentiæ*, & motum in obiectum id, cui bonum vult, amorem *Amicitiae* vocant, rejicit D. SCHOMER. in *THEOL. MORAL.* cap. VIII. §. III. ex hoc fundamento, quod bonum velle alicui, sit proprium consequens tantum amoris, & amicitiae proprium etiam apud Aristotelem; Amor vero formali conceptu non nisi obiectum nobis placere dicat. Distingui itaque amorem a modo & directione mentis diuersa, qua vel obiectum ipsum, vel usum aut possessionem eius præcipue respicit, *ILLAM* amorem esse amicitiae & ferri in obiectum simpliciter ut seruandum vel augendum: *HANC* concupiscentiæ, & ferri in obiectum, vt usu & possessione sui non tantum nos, sed etiam alios augens. Amorem hunc *concupiscentiæ* coincidere cum notione eius a nobis supra allata, per se patet. Quo vero pacto amor amicitiae in amore erga Deum locum habeat, ex sequentibus patebit.

### §. III.

**E**Xpositis distinctionibus amoris in genere, considerandum porro occurrit, quomodo hæc distinctiones in amore erga Deum locum inueniant. Deus ob infinitas suas perfectiones variis modis se nobis sacris in literis representat.

Interdum enim ut ipsa bonitas, seu summum nostrum bonum, hoc est, qui & potest & vult nobis ea omnia ex gratia conferre, quæ nos beatissimos felicissimosque reddant, nisi ipsi reluctemur, se nobis sistit. Sic ad Abrahamum loquitur: *Ego sum clypeus tuus, & merces tua magna valde*, (d) quin itaque amore concupiscentiæ amandus sit, nulli dubitamus asserere. Ad huiusmodi enim amorem excitavit Abrahamum ipse loco citato. Vnde sequitur, quod non adprobet modo hanc amoris speciem Deus, sed etiam ea plurimum delectetur. Hinc David, sine omni dubitatione a divino spiritu commotus, hoc amore Deum quam evidentissime dilexit. Id quod tuto colligitur ex his eius verbis: *Intimis visceribus diligam te Jehoua, firmitas mea, Jehoua petra mea, & liberator meus, Deus rupes mea, ad quem me recipiam clypeus meus, & cornu salutis meæ, editus locus meus*; (e) Neque nobismet ipsis contra dicimus, quando in antecedentibus concessimus, amorem concupiscentiæ respicere amorem sui ipsius

(d) Gen. XL. v. 1. conf. I. Cor. II. v. 9.

(e) Psal. XVIII. v. 2. 3.



pius. Quem enim fugit, quod amor sui ordinatus, licitus sit? Quod ut recte intelligatur, observandum, in amore *concupiscentia* duo velut obiecta concurrere, ipsum Deum, & felicitatem, quam Deus adfert. Felicitatem, quam Deus adfert, amare, neutiquam illicitum est, cum hoc ex amore sui, quem Deus rebus omnibus indidit, proveniat. Sed si felicitas hæc plusquam ipse Deus, aut Deus propter hanc felicitatem ametur, iam ordo, quem in Deo amando tenere debemus, migratur. Vid. Buddei Phil. pract. part. prim. cap. IV. §. 45. Ordo vero, quem in Deo amando observare debemus est, ut Deum ante omnia diligamus. Deinde ut bona, quæ nobis contulit iusto prosequamur amore, h. e. post Deum & propter Deum. Et ex hoc quidem fundamento satis liquet, quid distinctio illa, amoris *concupiscentia* in *purum* & *impurum*, sibi velit. Non enim prius, quam hic ordo invertitur, degenerat *amor concupiscentia* in pravam & sordidam *φιλαυσιαν*, seu quod idem est, ex puro fit impurus. Aliquando se nobis ut ipsam perfectionem sistit, h. e. talem, in quo

omnes perfectiones in summo & eminentissimo gradu luceant. Quo ipso, ad *amorem complacentia* nos incitare vult. Quo David his respicit verbis: *Quis mihi in caelis, & præter te nullo delector in terra.* (f) Hinc quoque est, quod omnes Sancti Deum unum omni gloria & honore dignum iudicent: *dignus es Domine, qui accipias gloriam, & honorem & virtutem, &c.* (g) Quandoque ut amicum se nobis offert. Sic Abrahamum ipse adpellat, *amicum suum.* (h) Ita etiam Saluator dulcissimus ad discipulos: *non voco vos seruos sed amicos meos.* (i) Vnde constat Deum, non obstante illa inæquilitate, quæ inter illum & nos intercedit, *amore amicitia* a nobis & posse & debere amari. \* Non numquam tandem se præbet nobis ut *auctorem & conditorem uniuersi & omnium omnino rerum, quæ in eo continentur, adeoque & hominum,* (k) Vnde nemo non facili negotio colligit, eum quoque amore obedientiæ amandum esse.

Quid

- (f) Ps. LXXIII. v. 25. (g) Apoc. IV. v. 11.  
 II. (h) Es. XLI. v. 8. (i) Joh. XV. v. 15.  
 (k) Gen. cap. I. Col. cap. I. v. 16.



Quid enim est æquius? quam ut cum omnes a quo uno dependent, a quo spiritum & vitam acceperunt, verbo, omnia habent, amore genuino prosequantur. Hinc merito saluator optimus: *Amici mei estis, si feceritis, quæ vobis præcipio.* (l) Et Apostolus JOHANNES: *Hæc est dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus.* (m)

\* Amorem AMICITIÆ communiter dici quæ inter æquales obtinet, supra asseruimus; illumque respectum reciproci amoris involuere & juxta SCHOMER. amorem rei præsentis, ut augenda, esse diximus: quæ ergo ratione, in amore erga Deum locum inveniat amor amicitia, paucis videbimus. In amore amicitia PRÆTER EXCELLENTIAM ET PRÆSTANTIAM EJUS QUI AMATUR ACCEDIT, QUOD AB EO ITERUM AMARI CUPIAMUS. Bud. Theol Moral. cap, I. Sect. IV. §. 120. Amicitia autem est STATUS PLURIUM, UBI QUILIBET ALTERIUS PERFECTIONI STUDET. CARP. THEOL. DOGM. T. II §. 1109. In iustificatione Deus hominem summa perfectione, pro statu huius vitæ donat. Cum autem Deus simul sit quicquid per essentiam suam esse potest, h. e. omnium perfectionum sine ulla limitatione particeps, homo perfectiones divinas, nullo modo promoveri & augere potest; ut iustificatus tamen, & fidei, cujus consequens est nova obedientia, instructus, per actiones suas, ad voluntatem Dei, & in honorem Dei & Christi vivendo, perfectiones Divinas celebrat &

am

(l) Iob. XV. v. 14. (m) I. Joh. V. cap. v. 3.

amplificat. Quum igitur ex justificatione talis inter Deum & hominem resultat status, ut quilibet alterius perfectioni, utut modo diverso, studeat, amicitiam inter Deum & hominem ex justificatione oriri, non male colligitur. Quia vero ab amico bona obtinenda expectari possunt; amorem amicitiae respectum reciproci amoris involvere consequens est.

## IV.

**N**eqve tamen hæ distinctiones amoris in Deum allatae ita capiendae sunt, ac si diversas plane, & in praxi quoque sejungendas constituerent amoris species; sed ita ut ex varia & diuersa unius ejusdemque objecti repræsentatione, utpote fortiori amoris motivo enatae, diversas constituent amoris modificationes, quæ ad amorem Dei perficiendum, amica conspiratione concurrant atque in praxi sint conjunctissimæ, licet seorsim considerentur. Quid enim est amor *Obedientiae* sine amore *Concupiscentiae*, *complacentiae* & *amicitiæ*, nisi metus servilis potius, quam amor verus genuinus Deoque placens? E contrario nihil prodest nobis amor *concupiscentiae* & *amicitiæ*, nihil *complacentiae*, nisi quoque accedat *Obedientia*, unde recensitæ amoris modificationes inter se conjunctæ sint, necesse est. Qui vero in hujus modi



modi amore Dei sibi placent, sciant se toto  
 cœlo errare, amoremque ipsum, quo tantopere  
 delectantur, fictitium penitus fucatumque esse.  
 Non ergo sine gravissima causa Salvator dixit:  
*Si mea præcepta servaveritis, manebitis in amore  
 meo, ut ego patris mei præcepta servavi, & in  
 ejus amore maneo. (n.)*

§. V.

**D**EUS vero, quum non tantum sit summe  
 bonus, sed etiam summum bonum; sequitur,  
 quod is quoque unus omnium, amore summo  
 ante omnia sit prosequendus. Per summum  
 autem amorem non intelligimus eum, qui ex  
 rigore legis intenditur, quippe qui in hunc no-  
 strum statum, variis infirmitatibus obnoxium, non  
 quadrat: Sed eum, qui comparate ad omnes  
 res creatas, finitas & extra Deum positas, sum-  
 mus est. Is vero amor unice talis est dicendus,  
 ceu jam quodammodo ex antecedentibus patet,  
 quo Deum non propter creaturas, aut propter  
 nos ipsos, sed propter se ipsum diligimus. Id  
 quod rectissime vel inde concluditur, quod  
 DEUS creaverit omnia ad sui nominis gloriam

\* (o)

(n.) Joh. XV. v. 10.

\* (o) Nihil itaque æquius, quam ut omnino omnino tempore, non nostram, sed *divinam unice gloriam* queramus. (p.) Quod dum sine fuce facimus, summo quoque eum in quantum infirmitas nostra patitur, prosequimur amore.

\* Disquiri potest num ex loco Prou. XVI v. 4. peti possit argumentum pro gloria divina? Rationes dubitandi sunt, I: o quod למענתו non sit vox ׀וּד PROPTER, cum præfixo ל & affixo הו, quia obstat ipsa punctuatio: sed nomen מענה RESPONSIO, cum præfixo ל & affixo הו II: o Quod dissensus sit inter interpretes, num affixum הו in SENSU RECIPROCO ad Deum, siue SENSU RELATIVO ad כל ceu vocem collectivam, referendum sit? Qui posterius præferunt, dicunt (a) quod pro illa relatione, in הו כל requiretur ATHNACHI MAJOR BHBIA (b) quod כל, ceu vox collectiva, affixum potius pluralis sensus, quale est הו, requirere videatur. DACHSELIO autem videtur distinctio Rbbia, juxta utramque sententiam vel abesse vel etiam adesse posse, pro diversa nimirum ratione diversi affectus Scriptoris Sacri, & prouti vocabulum vel magis vel minus emphatice designare voluerit. vid. - BIBL. EBR. accent. ad h. l. HENR. BEN. STARK., not. sel. ad h. l. GLASS. phil. sacr. p. m. 1130. (y) quod ex συναψία textus inferat D. PFEIFFERUS, non agi heic de creatione, sed æquissima, attamen & liberrima Dei dispositione circa omnes euentus. DUB. VEX. p. m. 643.

Unde conficitur locum hunc הו הוה למענתו כל ver-

ten-

(o) Rom. XI. cap. v. 36. Prou. XVI. v. 4.  
Apo. IV. v. 11. (p.) Psal CXLV. v. 1.



tendum esse: *OMNIA FECIT ( & ADHUC FACIT, OPERATUR, ORDINAT, DISPONIT, ) JEHOVA AD RESPONSUM SUUM, ITA, UT CUNCTA VOLUNTATI DEI RESPONDEANT: VEL IN RESPONSUM SUI IPSIUS, ITA UT SINGULA ET UNIVERSA, SIBI INVICEM RESPONDEANT.*

Verum his non obstantibus affirmamus quæsitum. Sive enim de creatione agatur, sive de eventuum dispositione; sive affixum  $\gamma\eta$  in *SENSU RECIPROCO* heic adhibeatur, sive in *SENSU RELATIVO*; res tamen ipsa loquitur, vocem  $\gamma\eta$  hoc in loco, non verborum sed operis sive eventus responsionem, vel convenientiam sive conformitatem denotare. Universi autem huius & singularum rerum productionem, ordinis harmonici a summo rerum arbitro, semel instituti observationem, eventuum dispositionem, respondere bonitati, sapientiæ & iustitiæ Diuinæ, quis negabit? per hoc autem responsum sive conformitatem, gloriam divinam promoveri, inde patet, quod hominibus, non solum subministretur ansa, attributa Diuina contemplandi & admirandi, sed etiam actiones suas ad voluntatem Diuinam instituendi, quo ipso gloria Diuina promouetur.

### §. VI.

**S**ic breuiter exposuimus amoris in Deum affectiones & qualitates. Sequitur ergo, ut paucis etiam indicemus, quæ eius sit causa efficiens, siue auctor. Hic alius esse non potest, quam Deus T. O. M. Quemadmodum enim fides, cujus fructus est amor, a Deo,

C

ceu

ceu genuino suo fonte, emanat, ita quoque amor hoc unicum agnoscit principium, hanc unicam sui causam; neque res aliter se habere potest. In aprico enim est, nemini, post universalem generis humani corruptionem, per naturam veri nominis amorem erga Deum inesse: remanet ergo, ut per Deum eiusque gratiam & operationem in nobis excitetur, augetur & foueatur. Unde Johannes Evangelista: *caritas ex Deo est, & unus quisque amans, ex Deo natus est & novit Deum.* (q) Hæc quoque est ratio, cur apostolus Paulus oraret Deum, ut dirigat corda Theſſalonicensium in amorem sui. (r)

§. VII.

**A**D subiectum vero, siue hominem, qui huius amoris est capax, quod attinet: illum regnitum esse debere, ex dictis satis superque colligitur. (s) Neque enim irregentis, ne quidem *privative* talibus, aliqua veritatis specie assignari potest. Quod nullo non nego-

tio

(q) I. *Job. IV. cap. v. 7.* (r) II. *Theſſ. III. v. 5.* (s) *ut ex I. Tim. cap. I. v. 5. I. Pet. I. v. 22. 23.*



tio patebit, si consideremus, quod amor in Deum, quemadmodum antea iam diximus, sit fructus fidei. Quum ergo fidem non habeant qua tales; sequitur, quod nec amore in Deum, tamquam huius indivulso comite & fructu, iure suo, gloriari queant. Nam licet Deus per gratiam suam praevenientem & preparantem id quam maxime agat, ut conuertantur & fide viva donentur. Quum tamen huic gratiosae operationi nihilo secius obicem ponant, mirum non est, quod prouti nec fidei, ita neque amoris diuini participes reddantur. *Nam quid illud utile est, si fidem dicat quis se habere, & non habeat opera, seu fructus eius? quum fides, si opera non habeat, mortua sit secundum se ipsam. (t)*

§. VIII.

**P**roximum est, ut rationes, quae nos ad Deum amandum permouere debent, adducamus. Harum palmaria est ipsa naturae diuinæ, maiestas, & excellentia, quae tanta est, ut nulla unquam illi similis sit, neque a finita mente excogitari possit. Huic suc-

C 2

cedit

(t) Jac. cap. 11, v. 14. 17.

cedit summa & infinita Dei bonitas. Huius enim beneficio ille nostrum redditur summum bonum; in cuius fruitione summa nostra versatur beatitudo & felicitas. Porro considerandus est Deus, ut auctor, non solum huius universi, sed etiam vitæ nostræ, & omnium bonorum, quocumque demum nomine veniant, quæ possidemus. Unde etiam, sub diuersis respectibus diuersisque titulis, utpote medici, pastoris, Domini, patris se nobis sacris in literis reuelavit, ut eo fortius his commoti, ad eius excitemur inflammemurque amorem. Accedit, quod Deus nos prius amauerit, amore nimirum aeterno, ante iacta mundi fundamenta. (u) Et perpetuo amet. (v) Neque enim vel unigenito filio suo pepercit, sed tradidit eum pro nobis in mortem. (x) & per eum maxima nobis beneficia *semper* ex sola immensa bonitate, gratia & misericordia sua præstat. Quandoquidem ergo DEUS non solum nos ipse amat, sed etiam est ipsa *charitas*, (y) amoremque sui in nobis operatur: consequens

(u) Eph. I. cap. v. 4. 5. confer. I. Job. IV. v. 19. (v) Jerem. XXXI. v. 3. (x) Job. cap. III. v. 16. Rom. VIII. v. 32. (y) Job. IV. v. 8.



sequens est, Deum summo dignum & prosequendum esse amore. Omnia Dei opera procedunt ex amore, etiam ipsæ afflictiones: omnia ergo christiani hominis opera ex amore promanare debent. Immo in omnibus rebus creatis proposuit nobis benignissimus Deus speculum amoris. Sol, luna & sidera, non sibi, sed nobis lucent; herbæ non se ipsas, sed corpora nostra purgant; aër, aqua, bruta, & omnes creaturæ nobis interviunt & ad nostrum commodum creatæ sunt; \* quid igitur æquius, quid iustius, quam ut intensissimo in Deum feramur amore? Est, de cetero, Deus æternus & immortalis. Si igitur amor noster in eum dirigitur, in eoque manet; sequitur, illum quoque æternam fore inque æternum manere in hoc suo obiecto.

Contra si amoris nostri obiectum res creatas, caducas & perituras constituerimus, sequitur caducum esse amorem atque una cum rebus istis necessario periturum. Amor in Deum servat nos a multis peccatis iisque sæpe numero maximis; sed amor rerum creatarum excitat atque impellit

(\*) Gal. cap. V. v. 22.

pellit nos ad eadem patranda. Amor in Deum est (vavis & plenus pacis gaudiique spiritualis: amor vero in res creatas multiplices parit molestias redditque animum inquietum.

\* Vide JOH. ARNDI VER. CHRISTIANIS, Lib. II. cap. 42, D. JO. Gerburd. Medis Sacr. XXXVI

§. IX.

**O**Rdo, qui in Deo amando observari debet, est, ut omnium primo quidem ametur, non tantum ob bona temporalia & spiritualia, sed propter se ipsum, sive quod ob essentiae præstantiam & excellentiam infinitas, que perfectiones solus dignus sit, quem omnes in uniuersum homines amore prosequantur prorsus singulari; quæ amoris modificatio amor *somplacentiæ* dici solet, prouti ex dictis constat. Deinde, ut ametur eam ob causam, quod summum bonum nostrum, sive, quod in illo unico nos nostram habeamus & inveniamus felicitatem, tam temporalem, quam imprimis æternam. Quem amorem *concupiscentiæ* in supra allatis iam adpellauimus. Quod vero hoc quoque amore Deum recte amari statuamus, rationes suadent supra in medium adductæ.

Quare



Quandoquidem ergo in sacris literis summopere  
 præcipitur & commendatur: pronum est iu-  
 dicatu, eum neutiquam impurum esse censen-  
 dum. \* Neque philautiæ, quæ hic locum o-  
 mnino habet, tanta est vis, ut ex amore puro  
 impurum, reddere possit. Videtur hoc ipsum  
 etiam ipsa amoris natura & indoles quo-  
 dammodo postulare. Tota enim ea in relatio-  
 ne quadam versatur, atque ita numquam non  
 bonum aliquod relatiuum pro obiecto habet. Ut  
 itaque Deum recte amemus, omnem nauabis-  
 mus operam, ne immodicus rerum terrestrium  
 amor nos angat ac cruciet: nam si quis mun-  
 dum, aut ea quæ in mundo sunt, diligit, in  
 eo non est patris charitas, (a) sed in Deum po-  
 tius amandum riteque colendum nosmet effun-  
 damus, illudque memori pectore conferuemus,  
 quod HIERONYMUS alicubi commonuit: ve-  
 terem amorem nouo mutemus, mundum desera-  
 mus, & Deum complectamur, dicamusque il-  
 lud, quid mihi est in cælo, & a te quid vos-  
 tui super terram? deficit caro mea & cor me-

(a) I. Joh. 2. v. 15.

um, *Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum* vid. Hieron. *Epist. ad Just.*

\* Cum *Ebr. XI. cap. v. 24. 25. 26.* fides Moſis, abnegatione ſui & electione opprobrii populi Dei, adeoque amore Dei intenſiſſimo demonſtrata, commendatur; additur *απεθετε γαρ εις ημιν ασδαμοειαν*, quo ipſo ſignificatur, amoris obiectum ſemper eſſe bonum relationum & nexum habere cum felicitate noſtra. Mera enim & nuda alicuius præſtantia atque excellentia, præciſo omni in nos redundante commodo, æſtimationem quidem, vix autem amorem excitare poteſt. Videntur quidem *MYSTICI* fundamentum *AMORIS PURI* inueniſſe in verbis *Ps. LXXIII. v. 25, QVIS MIHI IN COELLIS? ET TECUM DELECTOR IN TERRA.* quem locum, ſupra § III allegauimus pro *AMORE COMPLACENTIE*: hinc enim heic exiſtimant, *ASSAPHUM*, nulla habita felicitatis ſuæ ratione, deſiderio ſolius Dei, utpote Entis perfectiſſimi, teneri. Verum ſi penitus conſideretur contextus, patebit, non omnem heic exſulare felicitatis reſpectum, ſed *ASSAPHUM* intenſiſſimum in Deum amorem, utpote fundamentum felicitatis ſuæ, hiſ ipſis verbis profiteri; addit namque, *SI CONSUMPTA FUERIT CARO MEA ET COR MEUM: PETRA CORDIS MEI ET PORTIO MEA DEUS IN ÆTERNUM.* conf. *D. JOH MICHAELIS* in *UBERIORIB. ANNOT. PHILOL. EXEGET.* ad h. l.

### §. X.

**Q**uoniam in proxime præcedentibus amoris *puri & impuri* mentionem fecimus: non inutile arbitramur hic exponere, quid per *purum*



*purum & impurum* eiusmodi amorem intelligamus. *Purus* est nobis amor, quo quidem Deus ante omnia, & primario propter seipsum amatur; neque tamen ita, ut eo ipso omnis h. e. licitus saltem tollatur respectus ad nostram felicitatem. Quo quidem sensu amorem & *complacentia & concupiscentia* simul complectitur. Quod vero attinet ad sententiam, qua amor purus is dicitur, in quo nulla relatio locum obtinet, nullus habetur respectus nostri commodi qualiscunque aut felicitatis, eam nostram non facimus. Præterquam enim quod huiusmodi amor veri nominis amorem eiusque ideam penitus, ut iam monuimus, videatur tollere, nullis quoque idoneis fundamentis nititur. Ideoque hæc *de amore puro* sententia, utpote nonnullis Mysticis, quos vocant, scriptoribus propria, prorsus est rejicienda. \* *Impuri* autem amoris nomine nobis venit amor, quo Deus non propter se ipsum, sed imprimis propter bona vel temporalia vel spiritualia diligitur. Et hunc quidem amorem, qua talem, quod philantia, non ordinatæ, sed inordinatæ totus originem debeat, iure meritoque tamquam spu-

rium & summo Numine indignissimum, improbamus & rejicimus: vide *Joh. Arnd. Ver. Christianis*, lib. II, cap. 24.

\* Qua occasione orta sit controuersia de amore puro, inter *FENELONEM* Arch. Episcop. Cameracensem, qui regulas mysticorum de *Amore interno* explicare aggressus est, & *BOSSVETUM* Episcopum Meldensem, ut & historiam huius controuersiae enarrat D. *JOH. GEORG. WALCH.* in *Historisch und Theolog. Einleitung in die Relig. Streitsigk auffer der Evangel. Lutherisch. Kirch* T. I. p. m. 297. 1q. Asta a. eius D. *JOH. WOLFG. JÄGER* in *Hist. Eccles. cum paral. profan. T. II. Decenn. Decimi Lib. VII. cap. 10.* recenset. Quanam fuerit sententia *FENELONIS* de *Amore puro*, ex adjectis Bullae pontificis *INNOCENTII XII* expressis propositionibus, in *Cameracensi damnatio* colligi potest. Sunt autem propositiones istae sequentes. 1:a *Dei habitualem statum amoris Dei, qui sit charitas pura, & sine ullo motiuo proprii interesse. 2:da neque timorem poenarum neque desiderium remunerationum habere amplius, in eo statu amoris, partem. 3:o In isto statu amoris puri, non amari amplius Deum propter meritum neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inueniendam, sed propter se & perfectionem internam. 4:a In statu vitae contemplatiuae, qui est puri amoris, omitti omne motiuum internam timoris spei &c.*

Quid autem *JÄGERUS* de utraque dissidentium parte sentiat, paucis, allato eius iudicio, indicabimus. Placet nostro in *Fenelone* ro & quidem in genere, quod *Mysticas* illas sententias, quae sub obscurissimis ut loquitur, aequiuocis, hyperbolicis ac saepe etiam fastuosis phrasibus, quae sine ulla methodo ab aliis propo-



ta fuerunt, candide, dilucide ac sine verborum tenebris, quæ apud alios Mysticos deprehenduntur, proferat. 2:º Quod pietatem non metiatur ab extrinseco cultu, qui hætenus in Ecclesia Romana potissimum valuit, sed hominem ducat ad interiora, ad cultum interiorum. 3:º Quod amorem strictè sic dictum mercenarium rejiciat. Amor enim, inquit erga DEUM verus & sincerus, præscribitur quidem in lege, sed gignitur ex Evangelio, quod de mercede proprie sic dicta, nihil novit: quia omnia ex mera gratia offeruntur, ut remissio peccatorum, iustificatio, vita ipsa æterna &c. Hæc sunt, quæ laudat ac probat in FENELONIO noster. Quæ vero in illo taxat, utpote quæ ad nostrum non facere institutum iudicamus, intacta relinquere licebit. Nisi forte obiter saltem notari mereatur, quod improbet non in FENELONIO solum, sed etiam in RUSBRUCHIO sententiam, quæ statuitur, non posse esse quemquam certum de salute sua, qui istum amorem purum non habeat, quem nimirum commendant; quum enim certitudo salutis nostræ sit ex perfectissimo amore SALVATORIS nostri, qui sanguinem pro nobis satisfactorium & redemptorium effudit, quem anima salutis æternæ cupida per fidem fiducialem apprehendit, non vero ex amore nostro, qui imperfectus, neque unquam satis purus, adeoque nec meritorius est; miseram dicit esse conditionem animarum in regno & Ecclesia Romana, quod ea præpter incertæ sint de salute sua, quod purum non habent amorem, qui deus est patriæ, non viæ.

In BOSSVETO autem eiusque sententia de amore puro probat, immo illum rectè asserere, quod is amor Dei in perfectus, non statim Deo displicens ac impure mercena-

rius sit, qui respicit Deum ut fruentum; quum Deus ipse in sanctissimo verbo suo se ita manifestaverit, quod non frustra velit coli, Non ergo opus esse perfectiones in homine desiderare, quas ne ipse quidem *DEUS* praescribit; sed aliquid majus pretendere velle, quam in Evangelio praetendit *DEUS*, stolidum esse, a:do illum recte docere, quod propter foeces peccaminosas nobis ex primo peccato adherentes, impossibile sit, ut detur *purus* in homine *amor*, qualem *Myfici Neoterici* fingunt: quum luctemur cum concupiscentia quamdiu in mundo vivimus. 2o Quod doceat *Mysticos* tales confundere statum patriae & statum viae. **R**eprehendit autem in illo eo quod pontificem armaverit contra adversarium suum, atque adeo rem ad fidem pertinentem, cum invidia tractaverit. 2o Quod in aliis *Mysticis*, utpote *Cardinali Bona*, *petruccio*, qui idem cur *FENELONE* docuerant, intactum reliquerit, vel excusaverit, quod in *Cameracensi* damnavit, quo ipso malignum prodidit affectum.

3o Quod *Epistolam Cameracensis*, in qua desiderat, ut pontifex loca, in quibus erroris accusatur, praecise citet, acriter intectetur, quasi per hoc desiderium auctoritati pontificis aliquid decedat, & *Cameracensis* tacite ab obsequio pontificis se subtrahere velit. vid. l. c.

## § XI.

**Q**uamquam ex iis, quae modo diximus, quodammodo pateat, Deum non posse eiusmodi amore puro, in quo nulla plane habeatur ratio, nullus respectus felicitatis nostrae, rite



vite amari: plenius tamen hanc prosequi rem,  
 operæ pretium esse existimamus. In antecessum  
 vero libenter concedimus, in gradibus amoris  
 æstimandis, non tam observari debere respec-  
 tum illum, quem diximus, ad nos ipsos, no-  
 stramque felicitatem, quam potius ipsam obiecti  
 amandi præstantiam excellentiamque. Unde  
 fluit, si obiectum amandum multis modis sua  
 bonitate, suisque perfectionibus nos nostrasque  
 perfectiones superet, illud quoque supra nos esset di-  
 ligendum. vid. *Joh. Arndi. Ver. Christianis.* lib. II.  
 c. 24. \* Quemadmodum obiectum, quod paribus  
 nobiscum gaudet perfectionibus, pari itidem amo-  
 re est complectendum, ac complectimur nos i-  
 ipsos. Cuius quidem asserti fundamentum *Sal-  
 vator* ipse comprobat; (b) quod tamen non  
 ita capiendum est, ac si omnem respectum ad  
 nos ipsos hac assertionem tolleremus. Sed iam  
 ad institutum. Quod amor Dei purus, qui om-  
 nem removeret nostræ felicitatis relationem, sit  
 impossibilis, vel maxime evincit immensum il-  
 lud desiderium, quo ad ea trahimur, quibus  
 perfe

(b) *Matth. XXII. v. 39.*

perfectiores & feliciores reddimur omnes. Quid? quod sapientissimus creator illo quidem consilio desiderium hoc nobis omnibus tam universaliter indidisse videtur, ut illius beneficio nos ad sui amorem excitare, allicere atque impellere possit. Et hinc quoque sequitur consilio identidem Divino factum esse, ut desiderium hoc nostrum sit perpetuum, & tale, quod nullo pacto exsui queat. Quamobrem etiam omnes omnino homines, in omnibus quæ agunt, felicitatem aliquam quarunt. Id quod ipsa nos condocet experientia. Si vero objicias, hoc quidem modo hominem non Deum, sed se ipsum amare; respondemus, accurate distinguendum esse inter *principium amoris*, & *terminum ab amante libere propositum*. Si homo ex inculpabili hoc principio, desiderio nimirum summæ felicitatis potiundæ, sanctissimo intensissimoque in Deum, qui eius auctor & diribitor est, fertur amore, videri certe nequit, quo nomine amor iste culpandus sit, quamdiu præstantia obiecti, quæ in gradibus amoris æstimandis in censum venit, prævalet respectui ad se ipsum: si vero amor ita terminetur in felicitate seu beatitudine,



ut illa plusquam ipse Deus, aut Deus propter illam ametur, ordo in amore observandus, migratur. Proinde ne amor *concupiscentia*, in pravam degeneret philautiam, primario quidem Deus, quatenus nostra conservatio & felicitas, ab eo penderet, secundario autem ipsa felicitas est amanda. vid. *Bud. phil. pract.* part. I. C. IV. §. 45. Quod vero attinet ad exemplum Pauli optantis *anathema* esse pro fratribus, ad quod provocant puri huiusmodi amoris defensores, inde nihil praesidii causae suae invenient. Ita enim loquitur Apostolus: *ἠυχοῦμεν αὐτοὺς ἑγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου.* (c) *optarim* vel *optarem anathema* esse a Christo, & quae sequuntur: non autem simpliciter *opto* vel *optabam* dicit. Hinc nullo fere negotio nemini non patet tacitam in verbis allatis subintelligi debere conditionem, videlicet hanc: *si optare fas esset, & res ipsa per se fieri posset.* conf. *Bud. Theol. mor.* part. I. c. I. sect. IV §. 122. \*\* Quomodo denique purus hic, de quo sermo est, amor, ipsam amoris videtur evertere plane naturam atque indolem, supra iam ostensum est.

\* Quam-

(c) *Rom. cap. IX. v. 3.*

\* Quamquam nullus hominum in hac infirmitate ad amorem perfectum, sive statum perfectionis in Deo amando pervenire potest; tamen omnes in universum homines in id summo nisu incumbere debent, ut amor eorum non fallus & inordinatus, sed verus & purus sit, quantum in hac vita possibile est, ut Apostolus Paulus dicit: *charitas erit de puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta.* (d) in hoc enim manifestati sunt nati Dei, & nati Diaboli. (e) vid. Job. Arnaii lib. II. cap. 24. de ver. Christ.

\*\* Cl. HENR. BENED. STARCKIUS, in not. Select. Crit. phil. Exeg. ad h. l. observat. Grotium Camerarium & Gerbardum ad verbum *ἡχοῦν* subaudire particulam *αὐ*, illudque habere vim optativi cf. Act. XXV. 22 pronomen autem personale *ἐγώ*, relativo *αὐτῆς* additum, esse emphaticum, innuens dignitatem personæ optantis. q. d. *ipse ego Paulus, qui sum Servus Jēsu Christi, vocatus & segregatus ad Evangelium Dei C. I. v. nullo segnius ego talis & tantum optarem, si mea pernicie salutem Judæarum procurare possim, fieri servum Diaboli, cum vocato Jona fugere a facie Domini, & separari ut ἀποποιῶν & victimam piacularem; & hoc esse quod addit ἀναζητῶ ἵναί, & quidem ad maius pondus, ἀπὸ τῆς χάριτος, a beatissima communionē eius &c. quod sane ὑπερβολὴ τῆς ἀγάπης, jure meritisimo, dicendum.*

### §. XII.

**S**equitur, ut, qui amoris in Deum vere puri & genuini effectus sint, paucis dispiciamus. Præcipuum in his obtinet locum, quod reliquarum virtutum Christianarum fons est &

Scatur

(d) 1. Tim. I. cap. v. § (e) 1. Job. III. cap. v. 10.



Scaturigo fit. \* Quemadmodum enim ipse fidei, ceu omnium primo boni omnis principio a parte hominum, immediate originem debet; \*\* ita quoque ceterarum deinceps virtutum, caussa existit & origo. Id quod vel exinde patet, quod amor Dei amorem quoque proximi generet; in quibus duobus summa legis totius continetur. (f) Neque inter effectus huius amoris postremam occupat sedem gaudium in DEO. (g) Quod quidem pro amoris magnitudine ipsum quoque intenditur. Et quamdiu amor in Deum durat, tamdiu durat etiam gaudium in Deo. Unde etiam facili negotio concludere possumus, quod ut amor in futuro seculo numquam cessabit; ita nec cessaturum sit gaudium, quod diximus, in Deo. Sed quandoquidem gaudium hoc simul quoque constituit ipsum prægustum vitæ æternæ: sequitur omni in id incumbendum esse studio, ut amor in Deum ceu huius fons, penes nos quotidie ad crescat. Possent quoque longe plures adduci effectus amoris huius nobilissimi; sed pro

E

ra.

(f) *Matth. XXII. cap. v. 37. 39.* (g) *Pf. V. v. 12.*

ratione instituti generaliores hos adduxisse suffi-  
ciat.

\* Egregie observat *CARPOV.* in *Theolog. Dogm.* T. II. §. 1236. *Schol.* 8. in praxi christiana, amorem in Deum reliquorum officiorum principium esse; quum qui Deum amat, ad omne quod ei gratum agoleit esse, amore impellenti promptus sit. In docendi autem ratione non posse omnia in Deum officia, ex amore in Deum derivari; quum non sequatur, fiduciam in Deum collocandam, preces ad illum fundendas &c., quia amandus est.

\*\* Ut evidenter pateat, qua ratione amor Dei ex fide fluat, duplex eius cum fide vinculum constituit *D. SCHOMERUS* in *Theol. Moral.* c. VIII. § 6, 7. alterum *naturale*, qua *affectivus* est; alterum *morale*, qua *efficitivus*. Illud ex natura affectus fiducialis divinitus excitati, sequi per se, dum vita fidei, siue *fiducia*, quam dicit esse lætitiã de re certa, sicut amorem rei de qua gaudemus involvit, ita & amorem eius, qui gaudii causa est, qua talis, necessario secum trahit. *Morale*, quod sola recti & honesti conscientia animo dicitur, dum omne beneficium esse obligatorium intelligitur, idque ex natura subordinatorum, quod omnis in nos, cuiuscunque rei aut potestatis concessio, dirigat eius usum ad voluntatem concedentis.

### §. XIII.

**U**T vero etiam probare nosmet possimus, utrum amore in Deo gaudeamus, nec ne? lubet



lubet denique nonnulla amoris huius veri & genuini recensere criteria seu indicia. Quorum potiora sunt: si obedientiam nostram in servandis preceptis mandatisque Divinis Deo rite & sine omni furo probemus: (i) si verbo Dei, tamquam unico pabulo animarum nostrarum, unice quoque delectemur. (k) Si peccata omnia & singula, quocumque nomine veniant, quoque se pingant colore, numquam non serio detestemur & fugiamus. (l) Si propter gloriam Nominis divini dura quavis & aspera, rerum circumstantiis hoc exigentibus, perpeti nulli dubitemus, (m) si Dei causa alios homines, sincero prosequamur amore. Nam si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Non diligens fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, ut diligens Deum, diligat & fratrem suum. (n) h.e. amor Dei sine amore in proximum, nullo modo consistere potest?

Qui

(i) 1. Joh. V. cap. v. 3. Joh. XIV. v. 15.

(k) Psal. LXXXIV. v. 2. 3. (l) Psal. CXIX. v. 128. (m) Act. XXI. v. 13. XX. v. 24.

(n) 1. Joh. cap. IV. v. 20. 21.

Qui enim proximum suum non amat, inimicus eius est, qui inimicus est hominis, est etiam inimicus Dei, quia Deus omnes homines amat. Proximus quisquis sit, is tamen est, pro quo Christus, morte sua, *ἀπὸ τοῦ* sponte, ex singulari amoris affectu prestare voluit; *quare* ergo, proximo denegas, caritatem impendere, cum Christus non dubitauerit vitam pro eo impendere. Si vere Deum, etiam imaginem ipsius diligere debes; unum spirituale corpus omnes sumus; sit ergo omnium una spiritualis anima; iniquum est, ut dissideant in terris, qui aliquando una victuri sunt in coelis: ut preclare loquitur Gerhardus in medit. sacr. XXXVI. His quoque hæc addenda censemus: quod qui rite Deum amant, arctissime cum illo uniri cupiant: omnia eius opera, omnesque actiones, adeoque etiam poenas, quas ex iustissimo iudicio impiis non numquam infligit, diligant, aliis etiam hominibus, immo hostibus quoque suis, bene semper cupiant; quum per amorem inimici se amicos Dei esse demonstrent. Attendere enim non debemus, quid faciant nobis homines, sed quid nos fecerimus Deo; nec iniurias quas



intert inimicus, sed beneficia innumerabilia, quæ ex mera gratia confert nobis is, qui iubet, ut inimocis nostros diligamus, odio habentibus nos beneficiamus, & pro infestantibus nos oremus; ut simus filii patris nostri qui in coelis: (o) qui ipse nos amavit, dum adhuc inimici eius eramus; (p) Præterea proximi sumus omnes, conditione terrenæ nativitatis, & fratres spe lœlestis hæreditatis. \* Et quod postremo demum loco nominandum non erat, Dei amantes solere quoque amorem suum in Deum, fideli colloquio cum illo, in fundendis precibus instituto, quam frequentissime declarare. Huic amoris æterni Fonti & scaturigini sit in altissimis Gloria sempiterna!

(o) *Matth. V. cap. v. 44. Luc. cap. VI. v.*

35. (p) *Rom. V. cap. v. 10.*

\* vid. D. JOH. GERHARD *Meas. Sacr. XXXVI.*



Politissimo Domine Auctor,  
GABRIEL GAB. FRONDELI,  
Cognate coniunctissime.

**P**ostquam cognovi Te, cognate coniunctissime, illud agere, ut progressus studiorum Tuorum publico specimine ostenderes; magno ob id ipsum gaudio merito sum persusus, neq̄ mihi temperare potui, quin publicae id testatum facerem. Nam si simplicis amicitiae leges hoc quodam modo requirere videntur, nemo profecto negaverit, huic ipsi rei inde majus addi pondus, si cognationis etiam accedat vinculum. Sed nec desunt aliae rationes. Materiae enim, quam tractas, ea est dignitas, eaque praestantia, ut vel illa sola sufficiat ad eliciendum, & meum, & bonorum omnium gaudium laetam congratulationem: siquidem non tantum magni est ponderis ac utilitatis, verum etiam egregie, & insigni cum industria & lucubratione elaborata. Fecisti itaque egregio hoc labore, & Ecclesiae, & Reipublicae literariae, rem non minus, gratam quam utilem. Quod superest, Deum supplex veneror, dignetur ceptis Tuis quibuscunque honestissimis, prosperos largiri successus, fataque in posterum ita dirigere, ut in ipsius gloriam, Ecclesiae aedificationem ac emolumentum, & Tuum ipsius Tuorumque gaudium ac solatium vergant! Sic voves & precatur Tibi.

Addictissimus  
CAROLUS EKROTH.